



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

VI. Volsaeus sententiam pronunciat, non accepta prius à S. Sede  
Apostolica potestate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

ergo Rex Angliæ, ne per hanc concordiam & Papa illi minus deberet, & Galliarum Rex filiis à Cæsare receptis, sua ope minus indigeret, atque ita undique desertus, effectum dare, quod animo agitatabat, non nisi difficulter posset: liris in Anglia decisionem omni ratione accelerare constituit, quamvis Campegio in iudicio assistere recusante, eo quod nec Julii decretum coram exhibitum esset, & ipse à Pontifice absque novis mandatis de causa illa ulterius cognoscere prohibitus fuisset. Hunc tamen minis, blanditiis, muneribus, importunitate eo adegit, ut tandem una cum Volsæo, Londini, quinto Calendas Junias, anno 1529. in cœnaculo fratrum ordinis D. Dominici, tribunal conscenderit. Mandatis igitur Clementis Papæ (sed non ejusdem revocatione) ante omnia recitatis, nominatim evocant, primum Regem Henricum, cujus vice procuratores aderant; deinde Reginam, quæ ipsa in medium prodiit. (O miseram! quæ propterea repudiata est, quod vir ejus turpissimos amores suos non nisi morte uxoris suæ stabilire, nec nisi ejus honore profanato, libidinibus suis pro voto obsequi posset.) Ingressa igitur in locum tam inauspicatum, iudices illos protestata suspectos esse, recipere aperte recusavit. Responsum est à Legatis, non profuturam Reginæ appellationem, nisi doceret, mandata ipsorum esse revocata. Et hoc quidem die nihil decisum est. Proximo, quo in iudicio confessum est, Regina iterum affuit, actum quidem, proposita solenni exceptione, ad Papam, omnia ulteriore litigatione, se provocare testata est, rationesque, cur id faceret, has expressit. *Primum, quod locus iudicii parum æquus videretur. Nam se in Hispaniis natam, ibi esse peregrinam: ideoque litem suam in Anglia, ubi Rex omnia possit, decidi non debere.* Deinde, *personas iudicum non solum Regi devotas, verum & subjectas esse, Volsæum ob Vinsoniensem & Eboracensem Episcopatus, Campegium, ob Sarisburiensem.* Rex animadvertens, causæ suæ remoram injectam, nec sententiam repudiî à iudicibus ferri, quamvis hi appellationem Reginæ non reciperent, ipse in iudicio seipsum sistens, summa cum confidentia juratus affirmavit, *non odio Regina, sed scrupulo conscientia se impulsus, ut, an matrimonium suum ratum esset, iudicio decidendum permitteret. Nam si vel odio aliquo, vel alicuius femina amore huc adductus fuisset, ut quidem vulgo crederetur, non se à Pontifice iudices petiturum, sed in ipsa Anglia soli Eboracensi Cardinali de latere litem hanc*

*decidendam permissurum fuisse. Nunc quum Cardinalibus hisce ea potestas à Pontifice delegata sit, se illorum sententia penitus acquiesciturum.* Regina quæ actioni intererat, quum animum Regis nec commiseratione emolliiri, nec ratione flecti videret, de loco suo surgens, Regem ad dextram sub conopæo confidentem adivit, genibusque ejus advoluta ab illo supplex precata est, *ut quoniam ipsa peregrina esset, litem istam, de qua ejus honor dependederet, non pateretur in Anglia disceptari. ibi enim quod non justum æquumque esset, sed quod Rex vellet, actum iri. Se quidem coronam, quam tam diu gestasset, ad pedes Regis deponere, omnibusque que sunt in his terris sublimia, renunciare paratam: ipsam tamen renunciare, aut vinculum, quo tam sancte colligati essent, rumpere non posse. Aliud supplicium quaereret, quo summum tum erga ipsum amorem, tum obsequendi ipsi studium nunquam à se depositum, compensaret.* Quæ quum dixisset, oculos suos erga Regem sustulit plenos lachrymis, quæ etiam durissima corda mitigare debuissent, sed Henrici animum dectere non potuerunt, in quem omnes Tiberiorum, Neronum, Domitianorum perditos mores confluisse diceres. Assurgens tamen, & sublatam benignissimis oculis intuitus, potestatem se illi facere dixit apud communem Christianorum patrem litem persequendi: populo interim, qui vultum ipsius, animi indicem, spectans, facile quid mente clausum gereret divinabat, minime sibi à lachrymis temperante, quod Reginam eo angustia redactam videret.

VI. Regina accepto hoc responso, statim actis gratiis, ex loco iudicii discedit. Sed vix egressæ nunciatur, ipsam à Rege & iudicibus revocari. Minime obscurum videbatur, quin Regem promissi pœniteret: id quod acerbissimi mœoris & summæ indignationis Reginæ causa fuit. Quæ, *Parebo (inquit) marito meo, non item iis, quos iudices non agnosco.* Jamque in iudicii locum reversura erat, quum id causæ suæ magnum præjudicium allaturum esse, à procuratoribus suis admonetur. Itaque hac proposita Regis nuncio excusatione, *Hodie, inquit, primum domino meo Regi non parui, sed quum proximè eum videro, hanc culpam deprecabor.* Henricus vero, promissi immemor, Legatos ad sententiæ ferendâ omnibus modis urgebat. Disputatur ergo, respondetur, replicatur, hinc Regis, illinc Reginæ procuratoribus causâ suâ propugnâtib. Nulla est tam injusta causâ, cui nō inveniatur patronus, & cujus deformitati non aliquis color detur.

*Et sepe evenit caussidicorum industria, ut bona causa iniqua prevaleat.* Erant Serenissimæ Reginæ advocati, primum Gulielmus Varamus Cantuariensis Archiepiscopus. Deinde quinque Reverendissimi Episcopi, Guthbertus Tonstallus tunc Londinensis, postea vero Dunelmensis, Nicolaus Vestus Eliensis, Joannes Clercus Bathoniensis, Joannes Fisherus Roffensis, Henricus Standicius Asaphensis, optimi viri & doctissimi. Quibus adjungebantur alii Theologi quatuor, Abellus, Fetherstonus, Pövellus & Ridlaus. Adversus hos quum Regis advocati, literas Adriani Cardinalis, qui Pontificis quaestor in Anglia quondam fuerat, recitassent, in quibus dixerat, se ex Papa Julio audisse, quum diceret, sibi non videri quod in matrimonio Henrici & Catharinæ dispensationem posset interponere, ex altera parte procuratores Reginæ in medium protulerunt ipsius Julii literas ad Henricum septimum conscriptas, in quibus hæc verba erant: *De dispensatione matrimoniali nunquam negavimus, nec suspicionem præbuimus, quo minus eam facere vellemus, ut aliqui minus vere dixerunt; sed respondimus, nos expectare in illa concedenda tempus magis accommodatum, ut consilius & maturius fieret, cum hujus sanctæ Sedis & utriusque partis honore.* Hæc Julius. Quibus lectis, Joannes Fisherus Roffensis Episcopus, vir dignitate, doctrina & sanctitate excellens, librum pro defensione matrimonii Regis & Catharinæ doctissime scriptum Legatis exhibuit, simulque gravissimam de eodem argumento orationem habuit, ad quam audiendam omnium aures attente erant. Quum dixisset, quatuor Legum Doctores librum etiam à se super eadem re compositum obtulerunt. Mox idem tres alii libri in medio istarum tenebrarum lucem adspexerunt, Joanne Clerco Bathoniensi Episcopo, Guthberto Tonstallo Londinensi, & Vesto Eliensi auctoribus. Ridlaus autem vir ab omni assentatione alienissimus, palam questus est de Legatorum iniquitate, quod jusjurandum calumniæ solis Reginæ procuratoribus detulissent, nihil eos aut dicturos aut scripturos Ecclesiasticis Constitutionibus contrarium: quum interea iis, qui erant ex parte Regis, libera facultas esset, quæcunque vellet pro se dicendi. Hæc quidem Ridlaus: quamvis non usquequaque tutum videatur vel ipsis juramentis confidere, quibus plerumque homines decipiuntur perinde ut pueri astragalis.

Rex omnia sibi contraria animadvertens, eo ma-

gis urgebat, ut ad sententiam ferendam Legati festinarent. Cui Campegius, excusatione usus, Non esse in re tanti ponderis, in quam omnium Christianorum Principum conversi essent oculi, præpropero & præcipiti gradu progrediendum. Campegius enim, quemadmodum jussus erat à Pontifice, dilationes quascunque poterat, interponebat; quumque ad finem usque mensis Julii judicium extraxisset, licere sibi negabat proximis duobus Augusto & Septembri totis mensibus huic negotio vacare, eo quod moris esset Romanæ Curia, ut à fine mensis Julii usque ad quartum nonas Octobris nullum exerceretur judicium. Rex vero comperendinatus istos moleste ferens, ut timorem Legatis injiceret, tertio Calendas Augusti Brandonum Suffolciæ, & Thomam Havardum Norfolciæ Duces, ad eos misit, qui sententiæ ferendæ accelerationem urgerent. Volsæo Regis voluntati suam accommodante, Campegius constantior, si quid post biduum, quod adhuc superesset, decideretur, id nullius roboris omnino futurum, respondit. Suffolciæ Dux quum nec impetrasset, ut intra id tempus, quod adhuc restabat, res tota definiretur, per sacram deicrans Missam, neminem unquam Cardinalium quidem boni in Angliam apportasse contestatus est. Quam severe autem Deus horum Ducum impudentem superbiam ac adulationem, per eundem Regem, cujus causam tam studiose egerat, ultus sit, infra videbimus. *Sacris cito punitur qui graviter punitur: moraque ipsa supplicium auget.* Nec manum Deus retrahit nisi ut ictum fortiosem infligat: atque plus dolet si Deus per eos puniat de quibus præclare meriti nobis vide-  
mur.

Duces ad Regem reversi, nil nisi oleum camino addiderunt. Ut enim scintilla, levi aura agitante mox ingentem flammam excitat, ita isti itacundia inflammati ita Regis animum furoris & insanitæ facibus incenderunt, parum ut abesset, quin magnum aliquod scandalum publice daret, & sursum deorsum omnia misceret. Pontifex interim Reginæ petitioni acquiescens, Campegio & Volsæo Legatis ad se revocatis interdixit, ne amplius huic negotio se immiscerent: causam verò totam Paulo Capizuchio sacri Palatii Apostolici causarum Auditori & Decano, cognoscendam, ipsique Pontifici demum referendam & explicandam commisit: quem jussit tam Regi quam Reginæ diem certum præscribere quo causam

causam apud ipsum per procuratores suos dice-  
rent. Quæ Pontificis constitutio Brugis & Tor-  
naci promulgata, & deinde in Angliam ad Sere-  
nissimam Reginam transmissa est, ut per ejus ope-  
ram Legatis innotesceret. Regina, quæ aliquan-  
tum ex istis ærumnis emergere tum videbatur,  
illustrem Senatorem, decus illud Angliæ, Tho-  
mam Morum, ad Regem legavit, sciscitatum ex  
ipso, utrum hanc revocationem sibi per Viatorem  
aut ejusmodi publicum præconem nunciari vel-  
let, nec ne. Rex dolorem, quem ex ea re capiebat,  
dissimulans, Moro respondit, Nolle se ut sua  
personæ fiat denunciatio, non recusare tamen, quo-  
minus Legatis de more obnunciatur: ut autem  
Romæ causa decidatur, vehementer sibi placere.  
Hæc quidem Rex dicebat, sperabat tamen se apud  
Papam, ut aliter eveniret, brevi effecturum. In-  
terea Campegius per literas Pontificis ad urbem  
omni cum festinatione revocatur. Cujus discessu  
Rex offensus, jamque omni spe rei ex animi sen-  
tentia conficiendæ excidens, odio Pontificis fla-  
grare, atque ex eo tempore id, quod postea indi-  
gnissime effectum dedit, animo concipere ac me-  
ditari cœpit. Jam regii furoris universum onus  
unus Volsæus sustinebat, Rege omnem horum  
malorum culpam in ipsum conferente. Quod  
quum multi ex Principibus viris (qui Volsæo Car-  
dinali omnia ex suo arbitratu administranti jam-  
diu invadebant) intellexissent, ita fortuna ejus  
rotam impulerunt, ut tandem eam plane everte-  
rint. Collatis enim consiliis, multa criminum ca-  
pita in illum collegerunt, eaque suis chirographis  
obsignata Regi tradiderunt: atque ita jam tunc  
plagas contexuerunt, quibus deinde miser ille  
implicatus fuit, cujus maximam ambitionem ma-  
xima dedecora, & fortunam nimis blandientem  
summæ miseræ exceperunt. Rex, cui ea res non  
ingrata erat, tantisper tamen dissimulavit, do-  
nec Campegius è Regno discessit: cujus etiam dis-  
cedentis sarcinas excuti jussit, explorandi gratia,  
si quid forte litterarum Volsæi deprehendere po-  
tuisset, nullas autem deprehendit. Post Campegi  
discessum, Volsæus ad Regium comitatum rever-  
sus, quum nec in consilium amplius adhiberetur,  
& negligi se ab omnibus videret, tunc demum sen-  
sit intentum sibi esse Regem. Nec ita multo post,  
jussu Regis à Duce Norfolciæ apprehensus, cogi-  
tur se abdicare primum Cancellariæ magistratu,  
quem Rex Tomæ Moro contulit, sperans fore ut  
hoc honore & beneficio ad suas partes pertrahi

posset, deinde Vindoniensi Episcopatu, quem po-  
stea Stephanus Gardinerus, qui Regi erat à secre-  
tis, & Romæ divortii causam paulo ante egerat, ex  
dono Regis accepit, tum autem magnificentissimo  
à se Londini exædificato palatio, quod Rex ipse in-  
vasit: denique pæne omnibus bonis exutus, pri-  
mum relegatur in villam Atheriensensem, mox in  
Eboracensem Archiepiscopatum dimittitur. *En  
quomodo fortuna in rebus humanis tumultuetur.* Et  
quid aliud est humana felicitas, nisi bestia, quæ  
quum ipsa sit fame enecta, rictui tamen alterius ex-  
posita est, ejusque tandem fit præda & cibus. Vol-  
sæus male habitus ab eo ipso, à quo ad tantum fa-  
stidium ejectus antea fuerat, Aulam deserit, pa-  
rum satagens rerum suarum, ut nos spectatores fa-  
ciat suæ calamitatis.

HENRICUS REX CUM ANNA BOLENA  
matrimonium contrahit: ab Romanæ Eccle-  
siæ communionem secedit: crudeliter mul-  
ta perpetrat: excommunicatur. Regi-  
na Catharina diem suum obit.

## CAPUT TERTIUM.

## ARGUMENTUM.

- I. *Henricus rex Academias aliquot suarum facit  
partium Volsæum munere submovet, non mul-  
to post defunctum.*
- II. *Cranmerus impius Cantuariensis Episcopus fit,  
ut Henrici flagitium subscribat.*
- III. *Henricus Annam Bolenam, divortii lite adhuc  
pendente, uxorem ducit.*
- IV. *Cur tam Pontifex quam Imperator justam de  
Henrico ultionem non sumserint, à Pontifice  
tamen non multa post excommunicata.*
- V. *Prophetissa quadam matrimonium Henrici &  
Anna scelestum pronunciat, sed occisa cum  
aliis.*
- VI. *Fischerus Cardinalis & Thomas Morus per sum-  
mam injuriam supplicio afficiuntur. Catha-  
rina regina diem suum obit.*

I. **H**ENRICUS, toties re infelicitè tentata, eo  
magis tamen animum obstinabat cœptam  
non omittere, donec effectam dedisset. Itaque (ut  
ipsa desperatio spem aliquam adhuc foveret) cum  
Cranmerum Cantuariensem Archiepiscopum Ro-  
mam, qui causam suam ibi ageret, mitteret, in An-